

FERDINANDUS DEI GRATIA PRINCIPES  
Et infans Hispaniarum, Archidux Austriae, Dux Burgundie, &c.  
Imperialis locum tenens generalis, &c.

NOBILI, ET FIDELIBVS NOBIS DILECTIS, LEONARDO  
Comiti de Nugarolis, Sacrae Cæsareæ & Catholice Maest. &c. ac Sigismundo de  
Herberstein, Equiti aurato. Consiliarijs & Oratoribus nostris ad Se-  
renissimum Principem Moscouitarum.



O B I L I S, & fideles dilecti: Cum nuper apud nos  
substitiſſent Lubinge Moscouitici oratores a Cesa-  
rereuersi, per Consiliariū nostrum Doctorē Ioan-  
nem Fabrum ſcificati ſumus de fide & religione  
ac ceremonijs gentis. Quæ omnia idem Consilia-  
rius noster, ut ab eis acceperat, in libellū poſtea di-  
gessit. Quem ea potiſſimum ratione hiſce adiun-  
ctū mittimus, ut lectus a uobis ſuggerat, refricetq;  
memoriam, ſi quid eorum uel uideritis, uel obſeruaueritis, quod proti-  
nus uero oculato testimonio, uel obſeruatione poſſit probari. Itaque  
iniungimus uobis, ut diligenter tam rationem fidei, quam ceremonias e-  
tiam, ad eum modum inquiratis, per occaſionem. quam iſpi ad indu-  
ſtriam & ingenium ueſtrum aſſumetis, ut certius de omnibus ſic infor-  
mati, huius gentis religionem & ritum aſſequamur, quem & in ſacris &  
prophanis rebus ſoleant obſeruare. Quod ſi quodpiam exemplar Miſ-  
ſale, uel ceremoniarius aliis liber, unde deprehendi facile poſſit ſacro-  
rum eorundem operatio circa Euchariftiam, & alia, commode in manus  
ueſtras inciderint, nobis gratum erit, ut comparentur: qui cupimus ſci-  
re ad amuſſim, ubi conueniant, uel diſcrepent, in articulis fidei, ac ce-  
remonijs. Erit nobis hæc inquisitio, & labor omnis ueſter, periucun-  
dus: neque uobis diſſicilis: quem ut omni studio prosequi uelitis, noſtra  
eſt benegrat a uoluntas. Datum Auguſtæ, die prima mensis

Februarij: Anno Domini M. D. X X V I.

Ferdinandus S.

Admandatum ſereniſſimi Domini Principis  
Archiduciſ proprium,  
Jacob. Spiegel, &c.